Tittler, Alexander.

DE MENTE QUÆ SUBESSE VIDETUR DEORUM CERTAMINI TRILOGIÆ ÆSCHYLEÆ, CUI NOMEN ORESTIÆ.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AUCTORITATE

DIE XIV. JANUARII A. MDCCCXXXVI.

PUBLICE DEFENDET

ALEXANDER TITTLER.

OPPONENTIBUS:

RHODE, DR. PHIL.
ZASTRA, CAND. PHIL.
TZSCHIRNER, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII.

1871, April 20.
Gift of
Ephraim W. Gurney,
Prof. in Harv. Univ.
(H. U. 1852.)

PRAECEPTORI

SUO

FRIDERICO JACOBO,

DIRECTORI LUBECENSI.

Quum scribere constituerim de sensu interiori, qui Orestiae veluti vinculum inserviat, quo in unum quasi corpus contineatur, vel si ita clarius, de significatione certaminis illius divini, quo in hac trilogia misera Orestis conditio explanetur, liceat antea de Aeschyli ipsius inter graecos poetas loco pauca exponere, quae absolvisse me putes, si ejus artem tanquam verticem proposuero, in quem omnis graecorum antiquiorum poesis conscenderit.

Poesis enim artem lyricam merito primam statuunt eluxisse, animi humani divino afflatu vaticinantis progeniem, quo tantum modo fabulosa vis principum, qui mythicae aetati tribuuntur, poetarum graecorum explicari possit, quum homines rudiores sincera sua ex ipso quasi divinae potentiae aspectu promanante rapidaque oratione in deorum quodammodo conventum atque ad summam eorum venerationem allicere intellexerint. Verum sicuti in uniuscujusque vita modo altius occurrit studium divini numinis, modo delabitur hominis ingenium magis ad jucunditates terrae considerandas percipiendasque, sic etiam totarum in gentium vitae vicissitudinibus nunc ex desiderio gravis alicujus tutelae sensus magis excitantur aspirantes divinam virium contentionem, nunc securiori-

bus temporibus eorum in locum succedit lenior vitae habitus, contemplatio naturae factorumque humanorum eorumque descriptio; itaque postquam illa vatum lyrica ars tradita est custodiae sacerdotum, procreatur poesis epica, qua ab hominibus jam magis segregatis a deorum sublimiori commercio ipsi dii retrahuntur ex coelo, induuntque formam corpoream, definitam seu terrestrem. At sensim, ubi vita heroica principum Achaeorum motibus diversis interiit, atque novae civitatum formae exstiterunt, quibus singulorum civium animus excitabatur ad suscipienda negotia reipublicae, mercaturae et vitae quotidianae excolendae, heroum facta desierunt hominum mentes admiratione, eorumque cantus jucunditate afficere; atque ita epica poesis paulatim evanuit, factaque est res eruditionis. Verum quasi quietem animus humanus agere non possit, atque una re obsoleta aliam sibi magis idoneam subrogare coactus sit, etiam in epicae poesis locum spatio longiori intermisso suffectum aliud genus videmus carminum scilicet altera ex parte artem lyricam Doriensium, seu lyricam plasticam, compositam quodammodo ex arte epica et lyrica ad victorias incruentas illustrandas et domestica gaudia se convertentem; altera vero ex parte artem lyricam Aeolensium, animi humani manifestantem cupidines et moerores. Atque ita siquidem carmina elegiaca, jambica et didactica, quae ad vitam humanam vel ordinandam vel castigandam spectantia neque ex gentis alicujus graecae conditione prognata videntur, omittere licet, jam poesis deorum, heroum et hominum, itaque totus poesis orbis videbatur absolutus, quum ex ipsis reliquis vestigiis antiquissimae artis lyricae temperatae epicis narrationibus prodiit ars dramatica, quam deinde vitam humanam fingentem Aeschylum primum eo maxime excoluisse atque divinam paene

fecisse arbitror, quod sicuti illi antiquissimi Graeciae vates hominum vitae divinam aliquam potentiam substruere intellexit, qua et tragoediae personas et se ipsos circumcinctos putarent spectatores. At enim propterea dixi verticem quendam poesin Aeschyli, quod et omnino ars dramatica ex prioribus poesis generibus explicata conspicitur, quodque artis perfectissimae est, quae cum homines delectet, simul et vitam hanc altiori conjungere docet. Quod vero dixi, Aeschylum primum atque fere solum hoc novo deorum hominumque commercio tragoediam illustravisse, ex ipsis poetae quibus vixit temporibus, atque ex comparatis reliquis ejus tragoediis cum sequentium tragicorum dramatis monstrari possit. Attamen, quum res gravior sit, atque ab hujus scripti consilio remotior, ea rejecta statim ad considerandas ipsas Aeschyli tragoedias transire liceat.

Quodsi in Aeschyli tragoediis atque omnino in arte dramatica personas respicimus, quibus fabula repraesentari potuerit, apparet, tria esse dramatum tragicorum genera. Primum erit illud, ubi res agitur inter solos deos, quod re vera divinum nominari possit drama, cujusmodi tamen argumenti tragoedias Aeschylus non tractavisse videtur; neque enim certamina deorum Olympicorum et Titanum, quae huic generi sola adaptari possint, dramaticae arti repraesentanda concesserim, neque Prometheus trilogia huic generi adnumeranda est.

Alterum autem genus id est, quod et nos nunc tragicum appellare consuevimus, ubi scilicet res inter solos geritur homines, atque divina illa vis, quam omnia probe compensantem summi dei justitiam nominare possis, tantummodo vel chori sermonibus, vel actionis progressu conspici potest. Quibus in fabulis, quarum tres singulae tragoediae, scilicet Septem ad. Thebas,

Supplices et Persae supersunt, perfectissimus facile videatur Aeschylus plurimis, quod in iis molesta eum non male habuit repraesentatio ipsorum deorum.

Quae duo genera quum paucis absolverimus, tertium restat, cui major sane tribuenda erit cura. Est vero illud cujus personae mixtae conspiciuntur ex diis atque hominibus, ubi divina numina terrestrem mythologiae formam induentia aperte commonstrant vim suam, quam exerceant in hominum vitam. Quibus e mixtis tragoediis facile recognoscatur et cohaerentia epicae poesis et dramaticae. Atque vero propter hoc ipsum dramatum genus sectatorem Homeri appellatum esse puto Aeschylum non propter sermonem, quo ut Welckerus monuit, propior Homero Sophocles, neque tamen propter fabularum delectum, ut ipse contendit, quum neque Sophocles neque Euripides a fabulis epici minoris cycli abstinuerint, neque omnino delectum argumentorum, nisi congrua accesserit tractatio, hoc cognomen Aeschylo parare potuisse, in aperto sit.

Verum quaerendum nunc erit, qua ratione in hisce ipsis fabulis Aeschylus divinis illis numinibus usus fuerit, vel quasnam iis partes tradiderit, et quomodo ea quasi tinxerit. Poterat enim vel tradita deorum ingenia, sicuti ex epicis carminibus Atheniensium genti innotuerant, servare, vel etiam ad arbitrium suum ea commutare; poterat deinde ipsis diis tantummodo quasi machinis uti, quibus fabulae actionem conderet, vel eos vere tragoediae personas tragicas proponere. Certum igitur est, duo harum tragoediarum constituenda esse genera.

Quorum alterum illud erit, cujus deorum ingenia ea servata sunt, quae ex Homeri carminibus cognita erant, ubi igitur deos veluti heroum quandam gentem poeta in scenam inducit, iisque nonnisi personis utitur,

quae summae divinae potestatis consilia exsequantur. Quarum fabularum plurima argumenta ex ipso epico carmine sumpsisse Aeschylum verisimile est, inter easque potissimum adnumerem trilogias, quae apud Welckerum ad cyclum Troïcum referuntur, excepta tamen Orestia, quam iis haud immiscendam puto. Eodem etiam referenda erit Ajax, fabula, a Sophocle tractata. Ex iis igitur, quae modo dicta sunt, apparet, hanc vere homericam nominari posse tragoediarum seriem, easque omnes, quod ad apparatum scenicum, proxime accessisse ad dramata nostra, quae operas vocamus; eo tamen differre ab his, quod in illis conspicitur grave divinae potestatis regimen, cujus in nostris operis rara vestigia. Neque in Aeschyli tragoediis ullam statuere velim, quae non quasi manifestatio fuerit justitiae summi alicujus numinis, neque trilogiam, cujus pars Supplices, fabula, exstat, hinc excludere placet; de Jasonea autem secundum ea, quomodo Welckerus res ejus exposuit, nihil contenderim. Illis denique figuris, quibus divina numina vestire oportebat poetam, nequaquam populi Atheniensium religionem laesam putes, qui scilicet ex epicis carminibus ipsas ejusmodi deorum imagines sibi excoluerant.

Itaque quum his tragoediis, quas modo tractavimus nonnisi illud consilium consequi voluerit poeta, ut et spectatores alliceret, eorumque sensus probos erigeret, maxime segregandae sunt ab illis, quibus evagatur a poetae munere ad philosophi, quibus veluti vates nudam aliquam philosophiae sententiam quasi corpore indutam vivido dramate spectatorum oculis subjicit; vel ut aliter rem explicem, quum illis prioribus tragoediis numina jam cognita proposuisset poeta, quibus sua cuique munera distributa erant, quaeque per totam fabulam eandem servabant ingenii formam, alterum

apud Aeschylum invenitur tragoediarum genus, quibus rationes demum illas, quae inter deos intercedant et homines, explicandas sibi proposuit; in quo posteriore dramatum genere certe liberior poetae concedendus erit usus numinum divinorum, quum in iis jam non appareant quasi imperatores, quorum nutu res geruntur, verum tragoediae vere tragicae personae, quarum ingenia et conditiones ipso demum tragoediae fine illustrentur. Itaque non modo concedenda sed necessaria videtur hisce in tragoediis conformatio atque generatio quaedam deorum, eoque magis ne allegorica dramatis vis spectatores lateat. Namque quum e. g. poeta fines describere velit, quousque hominum vires pie extendi possint, atque altera ex parte, quam de summo deo hominum animis infigendam censeat imaginem, quo ea dramate commonstret, certe illas conditiones, quas cuique attribuendas arbitratur, e certamine quodam procreatas fingere debet; cujus certaminis postquam ansas exposuit atque rationes, quae antehac inter deos hominesque intercesserant, deinde utrosque justos fines superaturos, denique ingenium assumentes aequum monstrare eum oporteat, et quo vehementius duae hae discordiarum et reconciliationis imagines distant, eo facilius allegoricum esse drama a spectatoribus percipietur. Necessarium porro ex iis quae dixi, intelligitur, in ejusmodi tragoediis poeta e temporibus ordiatur fabulam, quae legitimam societatis humanae conditionem antecesserunt, unde demum rerum humanarum rudium ordo quidam invehatur. Itaque et Aeschylus, quum poeta fuerit graecus, ex cujus gentis mythologia principium omne religionis et legum a rixis illis Titanum inter atque deos Olympicos quasi ex limine quodam egressum conspicitur, coactus certe erat, in allegoricis ejusmodi tragoediis ab illis etiam temporibus incipere,

atque divini alicujus numinis generationem per gradus quosdam excolere.

Neque igitur respuenda mihi videtur illa sententia, quam Welckerus in libro de tril. Aesch. p. 92 ab amico acceptam refert, qua atrox Jovis animus in Prometheo vincto quasi rudioris dei describitur, qui felici ex certamine elatus nimis violento imperiosoque spiritu sub severas iniqui obsequii leges omnia cogere, neque hominibus, seu hominum propugnatori divini quidquam concedere gestit, donec melius edoctus in Prometheo soluto veram sanctamque, quam ei tribuendam voluit imaginem Aeschylus, assumit. Attamen Welckerus hanc quidem rei expositionem veram esse negat, eo principue nisus argumento, quod omnem titanomachiam Hesiodeam non ingenuae graecae mythologiae censet, verum postea demum ex aliunde allatorum numinum atque e Gigantum, quos primo ipsos Titanas nominatos fuisse, concretione prognatam arbitratur; itaque cum neque Aeschylum, quem optime mythos perspectos habuisse putat, illi titanomachiae reconditiorem sensum elicere voluisse verisimile sit, atque tamen eundem plurimis locis ea de re loquentem cernamus, eo id fecisse consilio censet Welckerus, quo theogoniae illam de divinis rebus expositionem irrideat. Mihi vero, etiamsi illam in Prometheo vincto Jovis deformationem, ex parte necessariam, eo ipso jam improbasse poetam contenderim, quod sequenti dramate ei diversum omnino ingenium indidisse constat, nequaquam tamen irridere voluisse fabulam eam certum videtur, neque singulis locis, quibus ad certamen illud alludit, rem ludibrio habuisse videtur.

Quod ad hosce enim singulos locos, discernendum arbitror ea in re inter eos chori atque ipsorum actorum. Namque chori locis, quibus illius certaminis mentio

occurrit, tam sanctus inest spiritus, uti spectatores ne sentire quidem potuissent, irrisionem iis subesse poetae, praesertim quum ipsius chori personae ejusmodi de diis opiniones optime conveniant. Duos locos insigniores addidisse sufficiat, (versuum numero sec. Wellaueri ed. addito) Ag. 155 - 166, ubi v. 164. ἔτι pro recepto ἂν recte Klausenius reposuit, et Suppl. 590 sqq. ubi lectio vulgata sana, atque mirum, quomodo locus a Wellauero non intellectus sit; sensus enim est: Zeus sub nullius (sc. potentioris) imperium trepide festinans, ipse imperat imbecilliori fortiorum (sc. Saturni patris a filio victi) potentiae. Oxymoron illud μεῖον κρεισσόνων κρατύνει optimum, neque κρεισσόνων de regibus terrae accipere velim. cf. tamen Hermannum v. 2. ad Oed. Tyr. In hisce igitur, neque in horum similibus chori locis irrisionem aliquis quaesierit. — Multo autem acerbius atque ridiculose paene interdum ab actorum personis eae res tanguntur, uti Eum. 611, ubi nemo irascatur, quod Eumenidum chorum inter actores adnumero. Neque tamen hisce locis irrisionem subesse concedam; namque quum poeta consilio suo coactus fuerit, qui illi certamini interfuerunt, in scenam introducere, necessario et dimicationis illius necdum plane confectae convicia utrinque audiuntur, atque potius residua quaedam haec putem ex epicis carminibus, quae Aeschylus abstergere noluit, neque potuit, ne omnino illa tragoediarum suarum quasi stragula epicae mythologiae carere cogeretur.

Quae vero Welckerus de ipsa titanomachia contendit, eam spuriam posterius demum intextam esse ingenuae Graecorum mythologiae, nihil ea de re judicare ausim. Etenim res haec, qua praecipuum Welckeri sententiae de Jovis deformatione in Prometheo vincto argumentum nititur, majorem certe mythologiae graecae

fontium requirit cognitionem atque judicium certum de ipsa ratione, quomodo, siquidem Aeschylus mythos plane perspectos habuit, eos suis in tragoediis adhibuerit. Quodsi tamen levius res consideranda permittitur, nescio annon incautius dixerit Welckerus. Namque ex Graecorum more, quorum omnis scientia divini numinis ex naturae contemplatione et allegorica interpretatione, ejusque generationis explicandae studio profecta videtur, quum ad cultus gradum quendam pervenissent, atque deorum suum sibi coetum excoluissent, quid verisimilius fuerit, quam ut eorum animus ad tempora latus sit, quae legitimam terrae inhabitationem praecesserint? Quibus rudioribus temporibus quum suos sibi caros deos committere nollent, neque tamen ea rectoribus carere possent, necessario iis alia fingenda erant deorum numina. Ex quorum conjunctione quum et dii ex sempiternis tempore nati facti essent, simul etiam certamina illa, quibus imperii transitus designabatur, invenienda erant. Itaque rationi certe non repugnant haec, atque etiam Aeschylus reconditiorem iis sensum tribuisse videtur, quum illa antiquiora numina naturae sensu divino carentis faceret rectores, ex quibus per Saturnum Jovem indeque novum deorum coetum exstitisse, hominum vere tutores; quae ex iis, quae sequentur, magis etiam illustraturum me spero.

Itaque in illa Jovis deformatione dramati allegorico necessaria nequaquam haesitandum puto, eamque eo graviorem factam esse, quo facilius spectatores de consilio suo poeta admoneret. Neque denique Atheniensium populum ea re offensum fuisse conjiciam, quum ex epica poesi similibus deorum imaginibus assuetus allegoricam tragoediae vim ex ipsa illa commutatione optime percipere potuerit; contra si quis ejusmodi antea foverat de Jove iniquo imaginem, melius edo-

etum posthac sanctiorem ejus in locum substituisse arbitror.

Ceterum miror, quod Welckerus, ubi de illa Jovis deformatione loquitur, ad eam rem explicandam non aliam simillimam accierit, scilicet Eumenidum illam in Orestia trilogia. Sive enim, cui Welckerus annuere videtur opinioni, hac demum trilogia seu effectrice, seu comite in acropolin delatae sint dearum verendarum sedes, seu jam antea illis ibi condita fuerint altaria, summa sane gaudebant, jam antequam haec Aeschyli fabula in scenam data est, apud Athenienses verecundia, atque eadem certe apparet poetae audacia atque in Prometheo. Namque hac in fabula Jovem tantummodo ministrorum sermonibus atque facinoribus, quae in miserum Titanem fieri jubet, foedans, eum in scenam producere veretur, illic vero sanctas deas, quas ne appellare quidem fas erat, et ingenio et forma horridas nobis finxit. Quae quo excusentur, eadem nobis dicenda erunt, atque antea, poetam scilicet nobis philosophicam aliquam sententiam dramate condere voluisse. Deinde autem quisque intelliget, eo modo et praeceptoris munere functum esse Aeschylum optime; conjicere enim licet, diversa fuisse placita de verendis illis deabus, neque plurimis, quamnam sibi fingerent earum imaginem, in promptu fuisse, itaque quum poeta eorum notiones excolere vellet, non video, quanam ratione facilius perversa illa spectra, quae fortasse conceperant, ex Atheniensium mentibus expellere seu mitigare potuerit, quamsi eas ex gravibus furiis ante spectatorum oculos dramatis progressu convertit in clementes beneficasque deas; cujus simile consilium et in Prometheo fabula consecuturum fuisse poetam, jam supra monui.

Restat jam, uti quamnam Orestia fabula imaginem philosophicam exprimere voluerit poeta, eam paucis

adumbrem; namque ne temere huic fabulae ejusmodi Aeschyli consilium subesse contenderim, iis quae exposui cautum esse arbitror. Illud vero, quod summum est, antequam rem aggredior, admonuisse velim, quum Promethei cruciatibus constituatur religionis quodammodo caput, hac in tragoedia Orestis miseriis legum quandam excitari normam.

Orestiae igitur fabulae tempus quum sit bellum Trojanum, neque tamen remotum videtur ex poetae animo a Titanum certaminibus, ex quibus haud pauca etiam residua conspiciuntur. Omnem autem mundum regentem fingit deum aliquem summum, quem chorus in Agamemnone v. 165 dubius haeret quomodo appellet. Tradito tamen ab antiquitate nomine nominatur Zeus, atque una cum hoc nomine et mythologicae hujus Jovis rationes excitantur. At nequaquam benignus apparet paterfamilias, uti apud Homerum, verum judex atque justi custos severus, quasi ei conjuncta fuerit Moira, naturae implacabilis dea, cui alias ipse subjectus. Eo vero quodammodo praeside diversa duo videmus terram regentia numinum genera, quorum alterum Titanum quasi sunt reliquiae, in tenebrosis faucibus vitam degentes. Nominantur eae Erinnyes, atque conspicuum est, ex poetae sententia fuisse illas titanicae aetatis deas justitiae, (cf. chori cantum. Eum. 297-374) quae terrae custodiunt legitimum cursum, ne justum modum egrediantur telluris generantes vires, utque omnia suo fiant tempore; quae vero aliquo modo insignia e naturae omnia sub eadem lege coercentis vinculo eniti conantur, quasi rerum cacumina, ea iis ferienda tradita sunt; iisdemque etiam naturalis consanguinitatis jura servanda commissa. Itaque et hominum rudibus quodammodo animalium cultus initiis versantium leges excercentur ab iis. Verum etiam eo tempore, cujus haec tragoedia

est, quum societatis humanae cultior esset conditio, atque civiles leges illas naturae ratione expertis, hominibus haud sufficientes, oblivioni deprimere inciperent, contra nitentes a poeta inducuntur, atque suum, quod id naturam acceperant imperium, etiam in homines tuiturae. Sed e regione conspiciuntur iis dii Olympici humano ingenio propiores, moribus atque vitae cultui expolitiori faventes. Quorum qui civilium legum excolendarum munus suscepit, ipse est Apollo, propterea et νόμιμος appellatus, cujus oracula vere fons sanctioris vitae.

Jam his utrisque sua jura persecuturis medii stant misera dubitatione tracti homines, atque tragoediae hujus id videtur consilium, ut dirimantur discordiae illae, atque hominum vita alterius illorum numinum regimini subjiciatur. Illius vero certaminis solvendi qui ansam dedit, sicuti in Promethia fabula Prometheus, ita hac in fabula existit Orestes, quodammodo victima, cujus miseriis omne genus humanum sorte potiatur laetiori. —

Ipse chorus initio statim atque per omnes Agamemnonis fabulae cantus severioribus illorum subterraneorum numinum vinculis res humanas teneri prodit, atque ubique illas Erinnyes et facinora insignia et fortunam immodicam circumvolitare opinatur. Assidere enim eas videt domui Atridarum, cruoris avidas ex Thyestis inde et Atrei foedis factis, atque timet rebus nimis prosperis Agamemnonis (cf. Ag. 446 sqq. 949 sq.) Quarum quodammodo administra, quum culpae metu et saeva cupidine insaniens conjugis caedem perpetrasset Clytaemnestra, atque Apollinis, utpote civilium legum latoris, jussu filius patris calamitatem ultus esset, jam duabus hisce caedibus diversis legibus laesis legum harum diversarum executores certamine congrediuntur. Erin-

nyes enim, quae eas tantum leges sanctas tuentur inter homines, quae etiam iu brutis bestiis servantur, cum matrimonium justum nequaquam a natura, verum humanae societatis ex institutis prodiisse statuant, neque ejus violationem sibi ulciscendam existimant; (cf. Eum. 202 sq. 575; 623) at maternae caedis expiandum esse scelus maxime impium morte filii, atque ei quasi exsugere gestiunt vitam. Cui quum surrexerit adjutor Apollo, qui mariti caedem civitatis ex legibus omni modo puniendam ratus (cf. Eum. 208 et 209. quo posteriori versu scribas: ὅρκου 'στὶ μείζων, τῇ Δίκῃ φρουρουμένη. Wellauerus, qui comma post μείζων omittit, false locum interpretatur: torus jurejurando sanctior est, si juste colitur. Sensus vero hic: tori sanctitas major est, quam jurisjurandi; a Justitia circumvolitatur.) ipse filium matrem interficere jusserat, fabulae jam caput versatur in dijudicanda lite, utrorum legibus abhinc utantur homines.

Accitur Athena, sapientiae dea, atque postquam ab Eumenidibus etiam certaminis judex accepta est, (cf. Eum. 412. 413, quo posteriori versu scribas πῶς δ' οὔ; σέβουσαι γ'ἀξίαν τ' ἐπαξίων. Σέβειν vim habet verbi ἀξιοῦν) quum tamen sua ex auctoritate litem dirimere non audeat, convocat Athenarum quasi domina senum venerabilium conventum, quibus res dirimatur. Quorum sententiis quum par utrarumque legum auctoritas, divina clementia liberatur Orestes a culpa, eoque facto jam naturae leges in homines amplius cadere negantur. Exemti conspiciuntur homines ex gravium illorum subterraneorum numinum potestate, qua ipsi anxii ad terram deprimebantur; jamque libesiori spiritu iis intueri licet vitam, sibique divini ingenii consciis esse. Namque corpore subditi quum sint infernis diis, anima Olympicis, haec eorum pars vicit;

permissum abhinc animo humano ipsas suas sibi leges fingere, quibus societatis legibus si quis a poena liberatus est, deorum iram (*παλίγκοτον*) residuam, ne in posterum erumpat, jam timere eum non oportet.

Denique et ipsae illae *σεμναὶ θεαὶ* ad pristinum suum munus redeunt, atque missa hominum jurisdictione naturae reliquae praesident, quo foetus edantur animalium justi et plantae et totius naturae res hominibus apte maturescant, quod iis munus et Hermannus opusc. II. p. 177 in dissert. de Myth. Gr. earum ex nomine tribuit.

Liceat denique thesium loco correctiones atque conjecturas locorum aliquot obscuriorum addere. Desumptae eae maxima ex parte ex Agamemnone fabula, adjecta Klauseni, novissimi editoris lectione; nullas ex Choephoris f. addidi, quum ejus fabulae Klauseni editio mihi ad manus non fuerit; nonnullas denique ex Eumenidibus f. adjeci. Versuum numerus secundum ed. Wellaueri.

I. In Agamemnonis f. prologo Klausenius in omnibus fere sequitur ed. Wellaueri. Mihi vero ita scribendum videtur:

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων·
φρουρᾶς δ' ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
Στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν κυνὸς δίκην,
Ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν,
καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
Λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι
Ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν ἀντολάς τε τῶν·

καὶ νῦν etc. opponitur vigiliae illi annuae. Versu primo fortius interpunxi post *πόνων*. Particulam

δὲ, a Wellauero ejectam reduxi; transpositam eam saepius esse, videbis ex animadv. Well. ad Ag. 710. cf. Eum. 585. Participium κοιμώμενος defendas Ag. 411. 638. Herod. VII. 53. χρήζων. Omisi v. 6. interpunctionem post αἰθέρι, cum participium ἐμπρέποντας arcte cohaereat sequentibus ὅταν φθίνωσιν etc.

II. Ag. v. 70. ἀπύρων ἱερῶν
Ὀργὰς ἀτεννεῖς (οὐ) παραθέλξει. Klausenius iram significatam dicit de honore sacrorum imminuto. Sacra haec, pergit, designant reverentiam, quae legibus Jovis hospitalis debetur, quam neglexit Paris. Simili modo haec explicavit Wellauerus. Verum ὀργαὶ ipsa est sententia, quae ex sacrificiis eluxit, sc. Trojam interituram esse, quam ὀργὰς ἀτενεῖς appellat poeta ob severitatem et implacabilitatem hujus vaticinii; ἄπυρα ἱερὰ vero quid sit, ex v. 124 sqq. investiges, ubi nimirum de Calchantis oraculo (v. 125) sermo est, quod certe ex ἀπύροις ἱεροῖς, e caede scilicet leporis ab aquilis profecta datum dici poterat.

III. Ag. 148. Σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν, ἄνομόν τιν', ἄδαιτον,
Νεικέων τέκτονα σύμφυτον οὐ δεισήνορα· μίμνει
Γὰρ φοβερὰ παλίνορτος etc.

Σύμφυτον Klausenius et Wellauerus passivo sensu accipiunt, adjectivum pertinens ad τέκτονα, atque vertit Klaus. σύμφυτος, qui cum altera re gignitur et crescit. Verum quisque sentiet, quam parum apte dictum sit θυσία οὐ δεισήνωρ. Certe equidem, quid significet, non intelligo. Propterea Well. hypallagen statuit, atque σύμφυτον et

δεισήνορα ad νεικέων pertinere. Neque tamen quos ex Aeschylo affert locos, haec probant; namque Ag. 49 ἐκπατίοις vere cum ἄλγεσι conjungas, quum aliter sensus omnino ineptus; altero vero loco Choeph. 183. ἐξ ὀμμάτων δὲ δίψιοι πίπτουσί μοι σταγόνες etc. optime σταγόνες δίψιοι vocantur, quae quasi urere dicuntur ardore luctu concitato. Itaque ad aliud remedium confugiendum erit. Vides Suppl. 837. Ζώφυτον αἷμα, ubi sanguis qui vitam alit, memoratur, atque φυτὸς activa significatione usurpatur, (pari modo ut Suppl. 579 φυσίζωον). Eandem activam significationem et huic σύμφυτος adrogo; praeterquam enim, quod composita haec adjectiva verbalia in τὸς activa interdum inveniuntur significatione, uti Soph. Oed. Tyr. v. 969. ἄψαυστος, 885 ibid. ἀφόβητος, ibid. 192. περιβόητος, possis vocem compositam ducere ex φύτιος, cujusmodi correptio simplicis formae, quando componitur, in plurimis vocibus exstat, uti ὑστερόποινος Ag. 58. ὁμόσπορος Soph. Oed. Tyr. 460. Qnodsi id concedis, activa significatione usurpatum esse σύμφυτος, construas ita: Θυσία σύμφυτος νεικέων τέκτονα, οὐ δεισήνορα, quo Clytaemnestram significari sequenti versu optime demonstratur.

Eadem ratione et Ag. 107 fortasse scribendum est:

ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
Πειθῷ μολπὰν,
Ἀλκὰν σύμφυτος αἰὼν,
Ὅπως Ἀχαιῶν etc.

Namque Klauseni ratio, qui αἰὼν σύμφυτος de definito Trojae evertendae tempore intelligit, ne-

quaquam probanda, quum *ἀιὼν* pro *καιρῷ* dictum non facile inveniatur, neque omnino de certo aliquo tempore quidquam cogniti habere videatur chorus, (cf. v. 125.) neque ille custos, uti queritur, annuas vigilias egisset.

IV. Ag. 309. (Kl. 293). Scribendum videtur:

Λόγους δ' ἀκοῦσαι τούσδε κἀποθαυμάσαι
Διηνεκῶς, θέλοιμ' ἄν, ὡς λέγοις πάλιν.

ubi comma a Well. et Klausenio post *διηνεκῶς* omissum sensum obscurat. Neglectae interpunctionis ubi sensum pervertit, addere hic liceat nonnulla exempla.

Ag. 724. (Kl. 688). Well. et Klausenius comma ponunt post *τελευτὰς*, eoque inducti *παρακλίνουσα* vertunt, deflectens sc. fortunam in rem malam. Verum intransitivum sumas hoc verbum omisso commate, atque vertas: adclinata vero perfecit Erinnys nuptiarum acerbum ornatum; quod antecedentibus maxime aptum. Advenisse enim narratur Helena, quasi Venus ipsa, suavitate alliciens, verum consequitur eam atra Erinnys etc.

Ag. 899. (Kl. 857), Klausenius Wellaueri lectionem omnino retinet. Ita vero interpungendum puto:

λέγω κατ' ἄνδρα, μὴ θεὸν σέβειν ἐμέ,
χωρὶς ποδοψήστρων τε καὶ τῶν ποικίλων·
κληδὼν ἀΰτεῖ καὶ τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν
Θεοῦ μέγιστον δῶρον.

Ag. 1207. (Kl. 1155). Klausenius Wellaueri interpunctionem retinet, neque mutavit quidquam, nisi quod *ἀρὰν* librorum lectionem restituit. Scribendum vero videtur:

Ἀμφίςβαιναν ἢ Σκύλλαν τινὰ
οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι, ναυτίλων βλάβην
θύουσαν, Ἅιδου μητέρ', ἄσπονδόν τ', ἀρὰν
φίλοις πνέουσαν;

Ag. 1643 (Kl. 1575). Klausenius interpungit post *γένοιτο* atque *ἐχοίμεθ' ἄν*, quo sensus haud aptus efficitur. Wellauerum vero neque intellexisse versum 1643, miror. Interpungas vero

ἔρξαντα καιρὸν χρῆν τάδ' (sc. *πράττειν*)
ὡς ἐπράξαμεν
εἰ δέ τῳ μόχθων γένοιτο, τῶνδ' ἅλις γ',
ἐχοίμεθ' ἄν
Δαίμονος χολῇ βαρείᾳ δυστυχῶς πεπληγμένοι.

Eum. 98. scribas:

προὐννέπω δ' ὑμῖν, ὅτι
ἔχω μεγίστην αἰτίαν· κείνων ὕπο
παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ, πρὸς τῶν φιλτάτων,
οὐδεὶς ὑπὲρ μοῦ δαιμόνων μηνίεται,
κατασφαγείσης πρὸς χερῶν μητροκτόνων. (;)
ὅρα δὲ πληγὰς τάσδε καρδίας· σέθεν
εὕδουσα γὰρ φρὴν ὄμμασιν λαμπρύνεται·
ἐν ἡμέρᾳ δὲ μοῖρα πρόσκοπος βροτῶν.

Suppl. 610. scribas:

τοιάνδ' ἔπειθε ῥῆσιν ἀμφ' ἡμῶν, λέγων
ἄναξ Πελασγῶν ἱκεσίου Ζηνὸς κότον
μέγαν, πρόφρων ὤν, μήποτ' εἰσόπιν χρόνου
πόλιν παχῦναι· (sc. *κότῳ Διὸς* vel *μιάσματι*)
ξενικὸν ἀστικόν θ' ἅμα
λέγων διπλοῦν μίασμα πρὸ πόλεως φανὲν,
ἀμήχανον βόσκημα πημονῆς πέλειν. (sc. *πόλιν*).

Versu 614. *λέγων* insertum, uti alias *οἴομαι* et similia. *ξενικὸν ἀστικόν θ' ἅμα μιάσμα φανὲν* est nominativus absolutus, cujus apud Aeschylum

exempla haud pauca. Ag. 981. 953. 1171. ubi vulgatum πῆμα retineas. Eum. 455.

V. Ag. 787. Ita scribendum videtur:

δίκας γὰρ οὐκ ἀπὸ γλώσσης θεοὶ κλύοντες, ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθορᾶς ἐς αἱματηρὸν τεῦχος οὐ διχοῤῥόπως ψήφους ἔθεντο· τῷ δ' ἐναντίῳ κύτει ἐλπὶς προςήει, χειρὸς οὐ πληρουμένῳ.

Dedi *φθορᾶς*, atque jungo *ἀνδροθνῆτας* (activo sensu) cum *ψήφους*. Comma vero post *προςήει* ad sensum notandum necessarium omiserunt Wellauerus et Klausenius, atque hic quidem vertit: ad oppositum vas exspectatio manus accessit non impletum; similiter Wellauerus; *χειρὸς* vero necessario ad *οὐ πληρουμένῳ* ducendum, sc. ad alterum vasculum spes vana tantum accessit, a manu non impletum sc. aliquo pondere; quo factum, ut alterum lancis vasculum, diruendae scilicet Trojae deorsum ferretur.

Cum hujus genitivi apud Aeschylum usus, qui directionem significat, unde quid exierit, latius pateat, liceat aliqua exempla apponere, ubi ea ex re obscurior locus false emendatus est.

Ag. 101. Klausenius pro recepto *φαίνουσα*, *φαίνειν* non injuste reposuisse videtur; attamen falsus est, quum ita construat: *τοτὲ δ' ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ ἐλπὶς ἀμύνει τὴν θυμόβορον φρένα φαίνειν φροντίδ' ἄπληστον λύπης.* Quum enim librorum lectione *λύπης* necessario requiratur, ita construas, *τοτὲ δ' ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ ἐλπὶς ἀμύνει τὴν φρένα τὴν θυμόβορον λύπης φαίνειν φροντίδ' ἄπληστον.* genitivus *λύπης* pendet a voce *θυμόβορον*.

Ag. 1395. Klausenius ita interpungit:

λέγω δέ σοι
τοιᾶυτ' ἀπειλεῖν, ὡς παρεσκευασμένης,
(sc. ἐστιν)
ἐκ τῶν ὁμοίων etc.

atque vertit: Ajo vero me tibi talia minitari, qualia sunt ejus, quae parata est, aequabili ratione eum, qui vicerit, mihi imperare; si vero contrariam rem deus adducat, etc. — Quae ita coacta apparent, ut vix intelligantur; neque melior Wellaueri lectio et interpretatio. Distinguas vero ita:

λέγω δὲ σοι,
τοιαῦτ' ἀπειλεῖν ὡς παρεσκευασμένης,
ἐκ τῶν ὁμοίων χειρὶ νικήσαντ' ἐμοῦ
ἄρχειν· ἐὰν δὲ etc.

Παρεσκευασμένη vero, quae ad vitae calamitates sustinendas cincta est; atque vertas: dico vero tibi me haec minitari utpote ex praeparata ad vitae pericula, pari modo mihi imperaturum esse, a quo ego victa; sicuti mihi parebit, sin aliter deus constituerit. Hujus genitivi autem plurimi sane apud Aeschylum loci, Ag. 645. 791. 1299. Choeph. 1051. Eum. 538, Suppl. 746, alii.

Verum ne taedium harum rerum cuiquam succrescat, duas tantummodo etiam res tangere liceat; primum ut constituam versus Ag. 358-375, qui a Klausenio iidem referuntur, qui a Wellauero, mutato solum v. 364. ἐγγόνους in ἐκγόνους. Videntur mihi vero hoc modo constituendi:

Διὸς πλαγὰν ἔχουσιν εἰπεῖν στρ. α.
πάρεστι τοῦτο γ' ἐξιχνεῦσαι,

(ὡς) ἄπραξεν, ὡς ἔκρανεν.
οὐκ, ἔφα τις, θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν,
ὅσοις ἀθίκτων χάρις
πατοῖθ'· ὁ δ' οὐκ εὐσεβής·
πέφανται δ' ἔκγονοι
ἀτολμήτων, Ἄρη
πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως,
φλεόντων δωμάτων ὑπὲρ, φεῦ,
ὑπὲρ τὸ βέλτιστον. ἔστω δ' ἀπή-
μαντον, ὥστε κἀπαρκεῖν
εὖ πραπίδων λαχόντα.
οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις
πλούτου πρὸς κόρον ἀνδρὶ,
λακτίσαντι μέγαν Δίκας
βωμόν· εἰς ἀφάνειαν
βιᾶται δ' ἁ τάλαινα Πειθὼ
προβουλόπαις, ἄφερτος ἄτας.
(τᾶσδ') ἄκος δὲ παμμάταιον. etc.

Sed jam breviter ratio reddenda erit eorum, quae mutavi. Omisi comma post εἰπεῖν, neque tamen κἀξιχνεῦσαι necessarium est, uti Wellauero visum est, quum constructio sit haec: τοῖς ἔχουσι εἰπεῖν Διὸς πλαγὰν πάρεστι τοῦτο γ' ἐξιχνεῦσαι. Conjunxi vero haec sequentibus, quum aliter illud τοῦτο non habeat, quo referatur. Propter id ipsum scripsi ἄπραξεν, nisi illud ὡς, quod uncis inclusi, retinendum fuerit, atque in antistrophico versu addendum τᾶσδ', quod facile a praecedente ἄτας absorberi poterat. Deinde scripsi πέφανται δ' ἔκγονοι, sc. caesa nunc jacet proles eorum, qui antea supra modum tumebant fiducia divitiarum. Commate distinxi post ἀτολμήτων. Denique conjunxi εἰς ἀφά-

νειαν cum stropha sequenti, quod quidem non magis vituperio afficiendum erit, quam quae Ag. v. 229 fit conjunctio duarum stropharum. Neque facile quis junxerit *οὐ γάρ ἐστιν ἔκαλξις εἰς ἀφάνειαν* duobus versibus interjectis, quod Klausenio placuit. Mirandum enim, eum hac in re non offendisse, qui tamen Ag. 993 (ubi scribit *Ζεῦς ἀνέπαυσεν ἐπ' ἀβλαβείᾳ*, ceteris haud mutatis) pessimum dicit, si quis jungere velit *ἀναγεῖν ἐπ ἀβλαβείᾳ*. Hunc tamen locum ita legendum puto:

οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ
τῶν φθιμένων ἀνάγειν
Ζεύς ἂν ἔπαυσεν ἐπ' ἀβλαβείᾳ.

Τῶν φθιμένων genitivus loci, unde aliquid exoritur, pro ex inferis vel mortuis; vertas vero, neque enim (si mortuum vitae reddere liceret) optime hujus rei peritum, quin ex mortuis ad incolumitatem mortales reduceret, impedivisset Zeus; nisi forte mavis *τῶν φθιμένων ἀνάγειν* cum *τὸν ὀρθοδαῆ* jungere, atque sub *ἀβλαβείᾳ* intelligere ademptam Aesculapio potestatem reddendae mortuis vitae.

VII. Ag. 1257. *ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας*, qui versus antea post v. 1263. legebatur, a Schützio e loco motus, ab Hermanno in hanc, quam nunc occupat sedem, transpositus atque a Wellauero et Klausenio eodem ordine retentus, eo loco haud necessarius est, atque ante v. 1263 inserendus videtur, fortiusque tum distinguendum erit post *ἐν θεῶν κρίσει*. Versus vero *ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρὸς* optime praecedenti adnectitur.

Alio autem loco talem versuum transpositionem magis puto necessariam, sc. Eum. 451 ubi versus 453 et propter repetitum illud *ὅμως* et propter sensum omnino suo loco stare non potest; eodem modo versus 458 difficultates movet, quas remotas arbitror, si quis hoc modo totum locum constituere voluerit.

οὐδὲ μὴν ἐμοὶ θέμις
φόνου διαιρεῖν ὀξυμηνίτου δίκας·
ἄλλως τε καὶ σὺ μὲν κατηρτυκὼς, ὅμως
ἱκέτης προσῆλθες καθαρὸς, ἀβλαβὴς δόμοις·
αὗται δ' ἔχουσι μοῖραν οὐκ εὐπέμπελον,
καὶ μὴ τυχοῦσαι πράγματος νικηφόρου,
χώρᾳ μεταῦθις ἰὸς ἐκ φρονημάτων
πέδῳ πεσὼν ἄφερτος, αἰανὴς νόσος.
τοιαῦτα μὲν τάδ' ἐστὶν ἀμφότερα· μένειν
ὅμως δ' ἄμομφον ὄντα σ' αἱροῦμαι πόλει,
πέμπειν δὲ δυσπήμαντ' ἀμηχάνως ἐμοί·
ἐπεὶ δὲ πρᾶγμα δεῦρ' ἐπέσκηψεν τόδε,
φόνων δικαστὰς ὁρκίους αἱρουμένους
θεσμὸν, τὸν εἰς ἅπαντ' ἐγὼ θήσω χρόνον.
ὑμεῖς δὲ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια
καλεῖσθ' ἀρωγὰ τῆς δίκης ὁρκώμοτα.
κρίνασα δ' ἀστῶν τῶν ἐμῶν τὰ βέλτατα
ἥξω, διαιρεῖν τοῦτο πρᾶγμ' ἐτητύμως
ὅρκον περῶντας μηδὲν ἔκδικον φρεσίν.

De transpositione versuum jam dictum; ad *κατηρτυκώς* subintelligas *φόνον*; scripsi *ὁρκίους*, quia aliter nimis audax hypallage statui debeat. Versu 462 post *θεσμόν* commate distinxi, quo sensus, quem exprimere volui, appareat; construo enim: *δικαστὰς θήσω θεσμὸν, ὃς εἰς ἅπαντα χρόνον ἔσεται.* Scripsi deinde *ὁρκώ-*

μοτα, quo libri omisso illo *τε* ducunt, quod Wellauerus v. 464 adjecit. *ὅρκον περῶντες* omnino jusjurandum qui dederunt; quam perficiendi vim huic verbo inesse alius etiam locus testatur, admodum corruptus, ut Wellauero visum est, sc. Eum. 601, quem ita constituas:

ἀπὸ στρατείας γάρ μιν ἠμποληκότα,
τὰ πλεῖστ' ἀμύμον', εὔφροσιν δεδεγμένη,
δροίτῃ περῶντι λουτρὰ κἀπὶ τέρματι
φᾶρος παρεσκήνωσεν, ἐν δ' ἀτέρμονι
κόπτει πεδήσασ' ἄνδρα δαιδάλῳ πέπλῳ.

Scripsi *ἀμύμονα* pro librorum *ἀμείμονα*, quod ferri nequit. Quid vero *εὔφροσιν δεδεγμένη* significat, ex Choeph. v. 107 patet. In casuum mutatione nemo puto haerebit.

VIII. Versus denique 718 - 721. Eum. vel Apollini vel Minervae tribuendos censeo.

Vitae enarratio.

Natus sum Posnaniae die 7. m. Febr. 1812, patre Augusto Tittler, matre Elisabetha e gente Brendel. Domi initio institutus anno 1826 gymnasium Posnaniense frequentare coepi, cui Director tum praeerat Jacob, vir humanissimus, cujus benigni in me animi memoria nunquam exstinguetur. Studiis ibi absolutis m. Januario a 1832 V. Cl. Huschkio Rectore Magnifico in civium Academiae Viadrinae Vratislaviensis numerum receptus atque philosophorum Ordini adscriptus sum. Anno autem 1822 patre orbatus atque plurimas inde fortunae calamitates perpessus, uti liceret Academiae hujus professorum lectionibus interesse, stipendiis potestas mihi facta est, quae summa Virorum, qui rebus scholasticis Magni Ducatus Posnaniensis praesunt, Illustrissimorum gratia et auctoritate accipiebam.

Studiis vero maxime philologicis et mathematicis operam navavi ducibus usus Schneidero, Ritschelio et Scholtzio; praeterea historicis Wachler et Stenzler, philologicis Branifs et Elvenich, theologicis Schulz et Boehmer praeceptores me initiaverunt, quibus omnibus Viris Doctissimis ac maxime Reverendis propter merita in me collata grato semper animo deditus ero.